

DE EUTROPIO EX IOANNE TRITTENHEMIO

ABBATE SPANHEMENSIS



EUTROPIVS monachus & presbyter, uir religiosissima conuersationis, in diuinis scripturis ualde studiosus & eruditus, atq; in secularibus literis ad plenum instructus: fertur nonnulla composuisse opuscula. E quibus extant ista, nobis duntaxat titulis nota,

Ad uirgines duas forores Libri II
 Chronicarum usque ad sua tempora Liber I

Claruit sub Valentiniano & Valente principibus, Anno domini trecentesimo septuagesimo. Sunt etiam qui scribant eum Augustini fuisse discipulum, & floruisse Anno domini quadringentesimo & trigesimo.

DE PAVLO DIACONO EX EODEM



PAVLVS monachus Casinensis cœnobij, ordinis sancti Benedicti, natione Italus, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio: propter scientiam literatū apud Carolum Imperatorem in magno precio habitus fuit. Hic olim ante conuersionem suam diaconus fuit Aquilegensis ecclesie, & Desiderij ultimi regis Langobardorum cancellarius: & cum eodem captus à Carolo, in Galliam ductus, demum monachus factus est. Scripsit tam metrum quam prosa non pauca uolumina. De quibus tantum ego reperi subiecta. Rogatu Aldeburgæ filie Desiderij regis addidit

Ad Chronicam Eutropij Libros II
 Gesta episcoporum Metensium Librum I
 Vitam Gregorij papæ primi Librum I
 Vitam sancti Arnulphi episcopi Librum I
 Vitam sancti Benedicti metricè Librum I
 Gesta Langobardorum Libros VI Septentrionalis plaga
 Hymnos plures diuerso metro Librum I
 Epistolarum ad diuersos Librum I

Iussu Caroli ordinauit historias & lectiones per totum annum singulis festiuitatibus sanctorum congruentes. Et alia multa digessit & scripsit.

Claruit eiusdem Caroli Magni temporibus, Anno domini septingentesimo octuagesimo.